

Infantes expositi et inventi, si re diligenter investigata, de eorum Baptismo non constat, sub conditione baptizentur. Idem confirmat *Gobat* t. 2. n. 397. ex Synodis Cameracensi, Mediolanensi III. sub s. Carolo Borrom., Colon., Constant. Plura vide apud *Marchant.* t. 2. c. 2. n. 4. in resol. Pastor. de Sacram. Contrarium docuerunt *Sotus, Sylv.* V. Baptism. q. 9., *Palud., Comit.* et alii, eoquod testimonium adjectae schedulae moralem certitudinem inducat; sicut testimonium obstetricis. Sed negatur *ro sicut*: quia hoc testimonium habetur a persona certa, quae aliunde supponitur non esse suspectae fidei, bene instructa etc.; non illud: ergo.

195. *Pro aliis casibus resolvendis observa* I. Si certum sit, unum e pluribus esse invalide baptizatum, nec posset resciri, quisnam eorum ille sit, singulos esse sub conditione rebaptizandos, affirmat *La Croix* de Baptism. n. 311. cum *Lug.* et *Dicast.*: quia, cum de nullo supponatur, haberi certum fundamentum, quod non sit ille certo invalide baptizatus, prudenter de singulis dubitari potest: ergo.

196. II. *Eulalia alias nec scrupulosa, nec melancholica, sed prudens mulier nunc perpetuis scrupulis, anxietatibus et inquietudine agitur de baptismi sui valore; hinc rogat Parochum, ut se sub conditione rebaptizet. Quaeres: An iterandus hac de causa sit Baptismus?* Affirmant *Quintanadu., Alloza, Gobat* hic a n. 446., *La Croix* hic n. 313. et alii, eoquod videatur esse prudens dubitandi ratio, quam confirmant plura exempla non baptizatorum, qui ita interne sunt agitati, post susceptum vero sub conditione Baptismum internae tranquillitati sunt restituti, alii ab infestatione spectrorum liberati etc. Nihilominus hoc facile fieri non debet; sed prius bene perpendendae et examinandae sunt circumstantiae personae ac loci, ubi primus Baptismus fuerit collatus et a quo; denique post diurnam expectationem et post alia remedia frustra adhibita res est deferenda ad Ordinarium, et suadendi interea frequentes actus fidei, spei, charitatis, et doloris perfecti. De scrupulosis patet, quod non sint audiendi.

197. III. Si Episcopus vel Sacerdos ex gravibus motivis, adeoque prudenter dubius maneat de valore sui Baptismi, non tantum debet abstinere a functionibus Episcopalibus vel Sacerdotalibus, sed debet conditionate denuo baptizari, et si in officio velit persistere, denuo ordinari et consecrari; pariter, qui a tali ordinati sunt, aut absolutionem sacramentalem acceperunt, iterum ordinandi et a peccatis absolvendi sunt; quia, quod est de jure divino, non suppletur per communem errorem, ut ait *Leonardelli* de Septem Sacram. c. 7. t. 1. c. 2. §. 2. q. 8. Contrarium docet *Jansen.* P. 2. cas. 89. num. 24. dicens: Si ejusmodi Sacerdos ante dubium de suo Baptismo jam plures absolverit, missas pro stipendio legerit, ipse et poenitentes tuti esse possunt; quia nullitas Baptismi non est certa, et in dubio praesumendum est pro valore actus, et ipsi sunt in possessione. At praeplicet prior sententia. Addit *Gobat* t. 2. num. 441. quod, si sciat poenitens, confessarium suum fuisse rebaptizatum, propterea quod prior Baptismus fuerit plane nullus, debeat absque dubio peccata mortalia vel eidem rebaptizato saltem in genere aperire dicendo: *Me rursus accuso coram R. V. de omnibus peccatis, quae fui ipsi unquam confessus, vel alteri distincte omnia iterum exprimendo. Sed quid, si poenitens nesciat, confessarium suum fuisse rebaptizatum?* R. Tum erit in bona fide, et quando alteri legitimo Sacerdoti peccata sua confitetur, simulque in genere omnium suorum peccatorum dolens se accusat, etiam prius exposita simul indirecte remittentur: imo facienti, quod est in se, Deus non deerit, sed potius deficiente alio medio dabit gratiam perfecti doloris aut amoris.

198. IV. Religioso ob defectum essentialem prioris Baptismi rebap-

tizato non licet deserere propterea Religionem, quamvis nec opus sit Novitiatu iterato, nec repetita Professione, quam tantum ratificare tenetur, ut declaravit S. Congr. Card. 1588.

§. IV. De Caeremoniis Baptismi.

199. Principium I. *Caeremonias et ritus ab Ecclesia pro administratione Baptismi solemniter institutos extra casum necessitatis omittere aut immutare, est peccatum ex genere suo mortale contra Religionem, et obedientiam Ecclesiae debitam; Laym.* L. 5. t. 2. c. 7. n. 5., quia est contra antiquissimum et saepe repetitum Ecclesiae praeceptum de illis adhibendis. Hinc *Trid.* sess. 7. Can. 13. statuit: *Si quis dixerit, receptos et approbatos Ecclesiae Catholicae ritus in solemnibus Sacramentorum administratione adhiberi consuetos aut contemni, aut sine peccato a Ministro pro libitu omitti, aut in novos alios per quemcumque Ecclesiarum Pastorem mutari posse, anathema sit.* Ritus, qui etiamnum in Ecclesia sunt recepti, et ad Baptismum solemniter conferendum sunt observandi, habentur in ritualibus sive Agendis cujusque Dioecesis. Quare, ut recte monet *Laymann.* l. c., ministri Ecclesiae operam dare debent, ut ritus Ecclesiasticos circa Sacramentorum administrationem calleant, et cum decore ac populi aedificatione exercent, juxta illud 1. Cor. 14. *Omnia honeste, et secundum ordinem fiant.* Dixi supra, *Extra necessitatem*; quia in casu necessitatis ejusmodi omissio nullum erit peccatum; sublata necessitate, caeremoniae suppleri secundum ordinem debent: omittere unam ex levioribus caeremoniis, est veniale tantum ob parvitatem materiae. Uncionem Chrismatis in vertice baptizati omittere in baptismo solemniter, semper mortaliter peccaminosum censet *Nugnus* et *La Croix* hic n. 339.

200. Principium II. *Ad Baptismum regulariter sub gravi obligatione adhibendus est Patrinus, isque mas, si puer baptizandus; foemina vero, si puella sit baptizanda, de quo Trid.* sess. 24. c. 2. de reform. matrim. ita statuit, *ut unus tantum sive vir, sive mulier juxta sacrorum Canonum statuta, vel ad summum unus et una baptizatum de Baptismo suscipiant; inter quos et baptizatum ipsum, et illius patrem et matrem, nec non inter baptizantem et baptizatum, baptizatque patrem ac matrem tantum spiritualis cognatio contrahatur. Parochus, antequam ad Baptismum conferendum accedat, diligenter ab eis, ad quos spectabit, sciscitetur, quem vel quos elegerint, ut baptizatum de sacro fonte suscipiant, et eum vel eos tantum ad illum suscipiendum admittat, et in libro eorum nomina describat, doceatque eos, quam cognationem contraxerint, ne ignorantia ulla excusari valeant. Quod si alii, ultra designatos, baptizatum tetigerint, cognationem spiritualem nullo pacto contrahant, constitutionibus, in contrarium facientibus, non obstantibus.* Cognationem spiritualem contrahentes memoriae causa comprehenduntur his versibus claudicantibus:

*Baptizans, baptizatus, baptizatque parentes.
Levans, levatus, levatique parentes.*

201. Ut quis valide munus *Patrini, Compatris, Sponsoris* vel *Fidejussoris* in Baptismo obeat, requiritur 1. ut sit compos rationis; certa tamen ac determinata aetas post usum rationis non requiritur. 2. ut sit baptizatus; quia pater nequit esse, qui nondum est natus in Ecclesia, nec aptus est ad instruendum in fide, qui eam non suscepit in Baptismo. 3. ut habeat intensionem patrinandi; alias censeretur quis tantum materialiter assistere, nec velle in se suscipere officium patrini. 4. ut baptizandum in

collatione Baptismi vel teneat, vel levet, vel e manu baptizantis suscipiat vel per se vel per procuratorem.

202. Illicite exercent munus patrini *primo Monachi*, juxta cap. *Piacuit communi*. 8. causa 14. q. 1.; et juxta c. *Non licet*. 303. D. 4. de Consecr., quo nomine *Coninck* et *Palao* tantum intelligunt eos, qui solitudinem incolunt: *Laymann* vero cum pluribus loc. cit. cap. 9. n. 3. ait, omnibus Religiosis saltem claustralibus prohibitum esse patrini munus suscipere, eoquod ratio prohibitionis in omnibus locum habeat, scil. ne ob contractam spiritualem cognationem nimia familiaritas cum saecularibus, praesertim cum foeminis contrahatur.

Secundo. Patrinus vel Matrina esse nequeunt extra casum necessitatis *Pater* vel *Mater* respectu propriae prolis. c. *Pervenit*. 1. causa 30. q. 1.

Tertio. Excipiuntur ab officio patrini *moribus infames*, quousque tales esse perseverant. Huc reducuntur ii, qui censura ecclesiastica affecti sunt.

Quarto. Excipiuntur haeretici: quia iis utpote a veritate deviantibus Ecclesia fidere nequit, nec sperare, fore ut baptizatum rite instruant in fide. *Laymann* l. c. n. 7. ait, propter gravem causam seu necessitatem in Germania permitti posse, ut haeticus ad suscipiendum infantem designetur; ubi tamen addit, quod Sacerdos ante Baptismum palam edicere debeat, infantem in fide Catholica baptizari, in eaque instruendum esse, si ad usum rationis pervenerit; quamobrem parentibus et patrinis incumbere, ne hanc ejus instructionem impediunt. Periculum autem perversionis timendum non esse, ex eo probat, quod pueri vix unquam in Germania a patrinis instruantur in fide. Nihilominus praxis in Germania plus concedere non videtur, quam quod ob graves causas acatholicus adhiberi possit, non ut patrinus, sive ut spondeat pro baptizando, eumque in fide instruendum suscipiat, sed ut persona honoraria: ideoque omittendae tunc sunt quaestiones, quae alias ad patrinum fiunt. Unde ait *Laym.* admittendum talem acatholicum sine ulla ejus promissione.

Quinto. Ordinarie admitti non censetur ad hoc munus, nisi qui fuerit designatus ad illud, quae designatio primo ac per se pertinet ad parentes; deinde ad Parochum, ut constat ex *Trid.* cit. et praxi. Breviter exclusi ab officio patrini comprehenduntur his versibus:

*Baptismo, fama, ratione, fideque carentes,
Censura affecti, Monachi, quibus adde parentes.*

Resolutio Casuum.

CASUS I.

Exuperius neo-sacerdos nuper Curae admotus vocatur ad aedes Satrapae viri nobilis ad baptizandum infantem sanum et vegetum: haeret aliquamdiu neo-Curatus, an liceat in privatis aedibus extra casum necessitatis baptizare; tandem se resolvit et baptizat omissis caeremoniis. Idem paulo post baptizat infantem in necessitate absque caeremoniis, quas altero die supplet, cum sanus infans portaretur ad Ecclesiam, omissis tamen exorcismis, eoquod crederet, daemonis potestatem per Baptismum jam penitus esse sublatam.

203. Q. I. An liceat conferre Baptismum in domibus privatis? R. Ex Clementina unica de Bapt. Non licet, nisi *Regum vel Principum*.... *liberi extiterint, aut talis necessitas emergerit, propter quam nequeat ad Ecclesiam absque periculo propter hoc accessus haberi. Qui autem secus praesumpserit, aut suam in hoc praesentiam exhibuerit, taliter per Episcopum*

sum castigetur, quod alii attentare similia non praesumant. Agenda Herbip. de hoc passu ita habet: *Itaque necessitate excepta, citra expressam Ordinarii licentiam, in privatis locis nemo baptizari debet, nisi forte sint Personarum Illustrium filii, id ipsis ita deposcentibus, dummodo id fiat in eorum Capellis seu Oratoriis, aut aliis locis decenter ad hoc ornatis, et in aqua baptismali de more benedicta.* Juxta *Gobat* hic n. 492. in Constantiensi Dioecesi permitti solet omnibus Nobilibus, ut eorum infantes baptizentur in oratorio domestico; hinc Parochus hac in re perspectam debet habere et sequi suae Dioeceseos consuetudinem. Merito autem conqueritur *Marchant.* in Resol. pastor. t. 2. de Sacram. c. 3. hanc consuetudinem saepius nimium extendi contra Ecclesiae praeceptum. Juxta *Leonardelli* hic n. 68. excomm. DD. graviter peccat, qui extra Ecclesiam baptizat, excepto casu necessitatis aut habitus privilegium.

204. Q. II. An Exuperius recte egerit omittendo caeremonias in primo Baptismo? R. *Negative*: quia licet dispensetur cum quibusdam jurisdictionem temporalem habentibus, ut eorum parvuli baptizentur domi; non tamen est ratio sufficiens, quod hoc privilegium quoad locum etiam extendendum sit ad separationem rituum a Baptismo. Ita *Suar.* hic D. 30. Sect. 2.; *Jordan.*, *Quintanad.* et alii. Ideoque talis Baptismus etsi non sit publicus sive solemnus quoad locum, est tamen solemnus quoad reliquos ritus et caeremonias, a quibus potissimum desumitur denominatio, ut ait *La Croix* hic n. 333. cum *Gobat*.

205. Q. III. An Exuperius recte omiserit exorcismos, supplens caeremonias? R. Per se loquendo, male omisit. Ita *Laym.* ex Pastoralis Romano cum gravibus AA. contra *Comitolium* L. 5. t. 2. c. 8. n. 10. in tali casu, dum Minister homini baptizato daemonis ejectionem atque gratiae donum precatur, intentionem suam referre debet tum ad perfectiorem daemonis expulsionem, ad illius insidias plenius dissolvendas et tentationes superandas, tum ad uberiorem gratiae communicationem et jam acceptae conservationem. Nihilominus in hoc attendendum est ad locorum consuetudinem, ut teste *Gobat* n. 507. ea non viget in Dioecesi Constantiensi: hinc supra dixi, *per se loquendo*.

206. Q. IV. An in haeretico ad fidem Catholicam converso, et antea rite baptizato supplendae sint caeremoniae? Respondet *Laym.* l. c. in nostris regionibus eam quidem consuetudinem non vigere, fortassis ne rudis populus existimet, nos haeticorum Baptisma debite collatum tanquam invalidum improbare; id tamen non esse alienum ab Ecclesiae universalis consuetudine, si sine scandalo aut alio incommodo fieri possit.

207. Q. V. An, si post Baptismum solemniter collatum certo deprehendatur, rebaptizandum esse infantem ob errorem substantialem (v. g. quia debita materia non fuit adhibita) simul repetendae sint caeremoniae? R. *Negative* cum *Bonac.* D. 2. q. 2. p. 7. n. 22. contra *Henriq.*, tum quia finis, quem intendit Ecclesia per caeremonias, jam per primam earum administrationem est obtentus, illaeque valent etiam separatae a Baptismo: tum quia *Innoc. III.* c. 1. de Sacram. non iterand. ait, in Sacramentis characterem imprimendis iterationem non esse faciendam, sed caute supplendum defectum: ergo cum in caeremoniis non fuerit defectus, etiam eae iterandae non sunt. *Confirm.* ex eo, quod juxta Comm. benedictiones in matrimonio invalide contracto non solent repeti. Addit *Bonac.*: *Hoc tamen intellige, nisi aliter usu receptum sit.*

208. *Pro reliquis observa. I.* Pro solemnibus administratione Baptismi praeter vasculum salis benedicti, cum gossipio ad abstergenda loca sacris oleis inuncta, ac praeter duas stolas vel saltem unam, quae ex una parte

sit violacea, ex altera alba, in promptu esse debent: 1. *vasculum sancti olei Catechumenorum*, quod superius notatur littera S., quae designat Oleum Salutis Catechumenorum. 2. *vasculum sacri Chrismatis*, quod notatur littera C., quae denotat sacrum Chrisma. 3. *vasculum* notatum littera I. huc non pertinet, quia continet oleum infirmorum pro Extrema Unctione, non vero oleum Infantium, sicut nonnemo perperam intellexisse fertur.

209. II. Si post diem Jovis sanctum sit baptizandus infans, et Parochus necdum acceperit novum Chrisma consecratum, novumque sanctum oleum, juxta P. Gobat hic n. 511. potest differri totus Baptismus, si absit periculum, ut moriatur infans; si vero urgeat periculum, poterit antiquum Chrisma adhiberi. *Marchantius* suadet, ut Parochus praemittat alia de more et baptizet, postea vero suppleat unctiones. Agenda Herbipolensis de sacris oleis ita statuit: *Nova olea si ob distantiam loci, vel aliud incidens impedimentum ipso Sabbato sancto haberi nequeant, fons baptismalis nihilominus eo die benedicatur, omniaque eo ordine, quo in hoc Rituali praescribuntur, peragantur, excepta infusione et commixtione Chrismatis et olei, quae fit die, quo sacra olea recepta fuerint. Ante infusionem autem et commixtionem Chrismatis et olei, infantem baptizet nullum, nisi necessitas aliud suadeat. Veteribus oleis* (quae solent comburi in novo igne Sabbati sancti) *nisi necessitas cogat, ultra annum non utatur: ac si, anno nondum finito, deficere videantur, et Chrisma aut Oleum benedictum haberi non possit, v. g. e proxima Parochia, aliud oleum de olivis non benedictum adjiciatur, sed in minori quantitate.*

210. III. Juxta piam ac laudabilem consuetudinem Baptizando debet imponi nomen tanquam Dei Filio in Christo regenerando, et in ejus militiam adscribendo. Hinc jussu *Pii V.* curet Parochus, ne obscaena, fabulosa aut ridicula, vel inanium Deorum nomina imponantur, sed potius Sanctorum, ut baptizatus eorum vitam imitari conetur, eorumque intercessionibus apud Deum uti et suis in necessitatibus juvari possit. Porro in casu necessitatis, quo baptizandus est foetus immaturus, in quo sexus dignosci nequit, juxta *Possevinum* de Bapt. q. 20. sufficit dicere: *Creatura Dei, ego te baptizo* etc.; alias, quando dubitatur de sexu, juxta *Leonard.* l. c. bene agit baptizans, si duplex nomen scil. viri et foeminae imponat, prout de facto plures, de quorum tamen sexu non dubitatur, nominantur *Antonius Maria*; vel si tale nomen imponat, quod, deprehenso errore, facile e masculino in foemininum potest mutari, ut *Josephus* in *Josepha*, *Joannes* in *Joanna*: quod etiam fieri convenit, dum sexus successu temporis mutatur, prout auctores apud *Gobat* n. 338. factum esse testantur.

CASUS II.

Florimundus et Felicitas nuper prolem honesti civis de sacro fonte susceperunt: nunc autem matrimonium inter se contrahere cogitant, nec ullam gerunt curam sui filiastrum, quamvis sciant, eum inter amicos acatholicos in praesentissimo perversionis periculo versari.

211. Q. I. An Florimundus et Felicitas contraxerint cognationem spiritualem, quae sit impedimentum matrimonii? *Negative*: quia nec de jure antiquo inter ipsos paternos hoc impedimentum oriebatur, ut ostendit *Sanchez* L. 7. de Matrim. D. 54., nec oritur de jure novo; *Tridentinum* enim supra cit. noluit hanc cognationem extendere, sed restringere. *Ibid* per *to* inter quos nullatenus intelligit, hanc cognationem oriri inter illos tanquam paternos, sed inter illos et alias personas, quae statim numerantur. Ita *Suarez* in Comment. ad P. 3. q. 67. a. 8. Vide dicta n. 200.

212. Q. II. Quodnam sit officium et obligatio patrinorum? R. Cum

patrini sint quasi patres spirituales, ex *Jure Canon.* Fidejussores, Susceptores, juxta *Tertull.* Sponsores, juxta *S. Aug.* Fidei Doctores, hinc Patrini sive Compatri officium est 1. baptizandum tenere, aut si Baptismus fiat per immersionem, de fonte laevare; 2. pro filiastrum, si ipse non possit, spondere et respondere; 3. eum, si opus sit, in fide et moribus instruere. De obligatione patris ait *S. Th.* q. 67. a. 8. in corp. *Dicendum, quod unusquisque obligatur ad exequendum officium, quod accepit. Dictum est autem, quod ille, qui suscipit aliquem de Sacro Fonte, assumit sibi officium Paedagogi; et ideo obligatur ad habendam curam de ipso, si necessitas immineret, sicut eo tempore et loco, in quo baptizati inter infideles nutriuntur: sed ubi nutriuntur inter Catholicos Christianos, satis possunt hac cura excusari, praesumendo, quod a suis parentibus diligenter instruantur. Si tamen quocumque modo sentirent contrarium, tenerentur secundum modum salutis spiritualium filiorum curam impendere.* Vide C. *Vos ante omnia.* 105. de Consecr. Dist. 4. De obligatione horum filiorum spiritualium ait *Nicolaus Papa*, ut refertur cap. *Ita diligere*: causa 30. q. 3. *Ita diligere debet homo eum, qui se suscepit de sacro fonte, sicut patrem.*

213. Porro observa. I. In casu necessitatis, quo Baptismus privatim confertur, non est necessario adhibendus patrinus, neque peccatur si omitatur; ita *Suar.* l. c. tum quia nullum de hac re extat speciale praeceptum positivum, tum quia tunc licet omittere alias caeremonias in solemnibus Baptismo adhiberi solitas: ergo etiam hanc caeremoniam licet tunc omittere. Accedit quod in casu necessitatis plerumque idonei patris non possint haberi: ergo non videtur ad hoc Ecclesia obligare: extra casum necessitatis autem adhibendus est patrinus, etsi in privato oratorio cum licentia Ordinarii Baptismus conferatur. An tales patris etiam in Baptismo non solemnibus contrahant cognationem spiritualem, quae est impedimentum dirimens matrimonii, uti et plures ejusmodi QQ. vide c. 7. de Impedimentis Matrim.

214. II. Solent nonnunquam parentes nobiles, nescio ex qua devotione, ad levandam prolem e Baptismo invitare obvium aliquem et ignotum mendicum, quem postea liberaliter donant et dimittunt; quo casu talis mendicus verus quidem est patrinus, caeteris paribus; quia egestas non est impedimentum hujus officii; nihilominus istiusmodi heteroclitica devotio approbanda non est, tum quia hoc ipso, quod sit ignotus et vagus homo, etiam non constat, an sit Catholicus, an bonae vitae ac famae, nec ne; tum quia talis non potest in defectu aliorum in se suscipere curam instruendi ejusmodi puerum nobilem in fide et moribus etc.; ergo invitatur contra mentem Ecclesiae. Non tamen propterea accuso tales parentes peccati mortalis, sed ordinatam hac in re devotionem suadeo.

215. III. Juxta *Laym.* Lib. 5. t. 2. c. 9. n. 6. saltem in Germania Catholicus rogatus ab acatholico, ut sit patrinus, potest hoc officium in se suscipere, dummodo minister omnia ad essentiam Baptismi necessario requisita rite adhibeat, et ipse patrinus non teneatur respondere ad quaestiones verae fidei repugnantes. *Ratio* est: quia in tali casu nihil aliud facit, quam quod externa susceptione profiteatur, quod hominem modo baptizatum suscipiat tanquam spiritualis Nutritus ac Paedagogus in suam curam: atqui hoc profiteri Catholicum nihil prohibet; imo vero ipse Catholicus impedit, ne patrinus acatholicus adhibeatur, qui tacite profiteretur, se prolem Ecclesiae modo genitam aliquando in falsa sua secta instructurum esse. Neque hoc est communicare cum HH. in sacris; quia per hoc officium patrinus non communicat cum iis in exercitio haeretico, nec censetur quidquam facere contra externam orthodoxae fidei professionem; sed

tantum, ut dixi, profitetur, quod in suam curam et protectionem suscipiat neo-baptizatum, quae non est haeretica, sed Catholicae Religionis professio et exercitium. *Confirm.* Si in nostris terris Catholicus talem infantem suscipere renuerit, posset praebere causam scandali, existimantibus heterodoxis, ideo illum id officii recusare, quod contemnat et abhorreat ipsorum Baptisma tanquam invalidum.

216. IV. Per se quidem non peccat graviter contra charitatem, si quis renuat ex rationabili causa officium patrini in Baptismo, quia tunc lex charitatis ad id non obligat: frequentissime tamen graviter peccatur, si fiat ex odio vel superbia, aut cum gravi scandalo vel magna parentum offensa.

217. V. Patrinus non tenetur alere suum filiastrum; quia nulla lex est, quae ad id obliget, et nimis onerosum hoc foret patrino; ordinata tamen charitas ob cognationem spiritualem suadet, ut filio spirituali potius succurrat, quam aliis indigentibus in aequali necessitate.

218. VI. *Laym.* Lib. 5. t. 2. c. 6. n. 8. cum *Comm.* de tempore, quo Baptismus suscipiendus sit, ait *primo*: Adulti obligantur ad suscipiendum Baptismum, quam primum commode possunt, dummodo antea in fide instructi ac probati sint; quia baptismus est Sacramentum primum, maximeque necessarium. *Secundo*, parentes et alii, qui curam infantum gerunt, maxime in defectu horum Pastores animarum, ecclesiastico praecepto, consuetudine introducto, obligantur, ut infantes, quamprimum commode fieri potest, ad sacrum baptisma offerant; alii quidem affirmant, Baptismum citra peccatum differendum non esse ultra tres aut quatuor dies. Sotus ad octavam usque diem extendit. Vide *Clericat.* Tom. I. decis. 23., *Suarez* hic disp. 25. Sect. 2. ita ait: *Post perfectam nativitatem corporalem non potest certior regula assignari, quam ut Baptismus sine causa contra Ecclesiae consuetudinem non nimium differatur: quanta vero possit esse dilatio, et quando sit nimia censenda, prudenti arbitrio relinquendum est.* Quando autem ex justa causa solemniter Baptismus aliquamdiu differitur, non licet privatim baptizare infantem, et postea supplere caeremonias: quia pro solo casu necessitatis licet separare Baptismum a reliquis caeremoniis. *Laym.* l. c.

219. VII. Parochus, qui scienter vel ex negligentia baptizatos saepius non inscribit libro baptismali, graviter peccat: idque tum ob legem *Trid.* in re gravi, tum ob gravia incommoda, quae ex illa omissione emergere possunt; liber enim baptismalis cum fidem faciat in quovis tribunali ad probandam aetatem pro ordinibus suscipiendis, professione religiosa, matrimonio, liberatione a tutela et curatela, jejunio etc., quae aliunde efficacius probari nequeunt, necessario consequitur, magna incommoda ex tali omissione posse oriri. Modum annotandi in libro baptismali vide in Ritua-libus Dioecesanis. Caeremonias antecedentes, comitantes et subsequentes Baptismum explicat *Bellarminus* hic a cap. 25., *Palao* p. 4. t. 19. punct. 12., *Laym.* L. 5. t. 2. c. 8. a. n. 6., *Lohner* in Biblioth. Man. V. *Baptismus* §. 1. *Joan. Clericatus* Tom. I. de Sacram. Decis. 45. et alii.

Caeremoniae antecedentes Baptismum.

220. Prima est: *Assistentia Patrini.* S. August. serm. post Pascha paternos ita alloquitur: *Vos ante omnia tam viros, quam mulieres, qui filios in Baptismate suscepistis, admoneo, ut cognoscatis, vos fidei Jussores apud Deum extitisse pro illis, quos visi estis de sacro fonte suscipere, ideoque semper illos admonete, ut castitatem custodiant, justitiam diligant,*

charitatem teneant: ante omnia Symbolum et Orationem Dominicam vos ipsi tenete, et illis, quos suscepistis de sacro fonte, ostendite.

Secunda: *Extra vel in atrio Ecclesiae paululum detinetur baptizandus:* per Baptismum enim datur ingressus ad Ecclesiam.

Tertia: *Nomen imponitur,* quo significatur, baptizatum nomen Deo dare, et catalogo militiae ejus adscribi debere.

Quarta: *Insufflatio in faciem baptizandi,* ut significetur, Satanam cum contemptu ab illo ejici, simulque Spiritum S. velut spiraculum vitae per Baptismum illi insufflari, et in novum hominem regenerari; sicut Deus Gen. 2. v. 7. *Inspiravit in faciem ejus (Adami) spiraculum vitae.*

Quinta: *Formatio crucis in fronte et pectore,* ut Christianus non erubescat nomen Christi crucifixi, sed potius amet et intrepide confiteatur.

Sexta: *Benedictio et impositio salis,* tum ut baptizandus per salem benedictum et typicum conditus iniquitatis foetore careat, ut ait *Origenes* hom. 6. in Ezech., tum ut promissionis factae memoria se a peccati corruptione praeservet, tum ut veram sapientiam divinam accipiens discretionem in omnibus utatur.

Septima: *Saliva aures et nares liniuntur:* ut baptizandus vocem Dei audire, et bonum odorem pietatis Christianae gustare incipiat.

Caeremoniae comitantes Baptismum.

Octava: *Renuntiatio Satanæ,* de qua s. *Ambrosius* L. 1. de initiandis C. 2.: *Ingressus es regenerationis sacrarium: repete, quid interrogatus sis, recognosce, quid responderis: renunciasti diabolo et operibus ejus, mundo, luxuriae et voluptatibus: tenetur vox tua non in tumultu mortuorum, sed in libro viventium: praesentibus Angelis locutus es, non est fallere, non negare.*

Nona: *Unctio in pectore et inter scapulas,* de qua *Ivo Carnot.*: *Accepistis et oleum sanctum in pectore, ut vigeret in corde vestro sapientia: accepistis et in humero vestro, ut in exercitio bonorum operum indeficiens servetur patientia; ... quia vero in humeris vigor constat portandi onera, hujus partis unctione Christi athletae dedicati estis, ut sciatis vos ad certamen esse vocatos.* Forma hujus unctionis est: *Ego te linio oleo salutis in C. J. D. N. in vitam aeternam. Amen.*

Decima: *Trina infusio vel immersio,* cujus rationem reddit s. *Gregorius*: *Nos autem, quod tertio mergimus, triduanæ sepulturae Sacramenta significamus, et dum tertio infans ab aquis educitur, resurrectio triduanæ temporis exprimitur.*

Caeremoniae subsequentes Baptismum.

Undecima: *Unctio verticis Chrismate,* qua significatur, baptizatum nunc esse vere Christianum, h. e. chrismate unctum et unctionem invisibilem Spiritus S. accepisse, per quam regalis Sacerdotii Christi particeps factus est.

Formula chrismationis: *Deus omnipotens Pater D. N. J. C. qui te regeneravit ex aqua et Spiritu Sancto, qui dedit tibi remissionem omnium peccatorum, ipse te linat Chrismate salutis † in eodem C. J. D. N. in vitam aeternam. R. Amen. Pax tecum.*

Duodecima: *Veste alba induitur:* de qua s. *Ambr.* l. c.: *Accepisti vestimenta candida, ut esset indicium, quod exueris involucria peccatorum, et indueris innocentiae casta velamina, scil. ut meminerit baptizatus, se nunc esse candidatum regni coelestis, tamque puram debere deinceps custodire animam, quam pura haec vestis et quam purus ipse de hoc sacro fonte*